



**In Hoc Libello Pontificii Ora||toris continetur legatio, in
co[n]uentu Noremburgensi,|| Anno. M. D. xxij. inchoato,
sequenti vero finito ex-||posita, vna cum instructione ab
eodem legato|| ...**

**Hadrian <VI., Papst>
Noremburgæ, 1523**

VD16 K 320

81 In Mvltis Ecclesiasticorvm Consistorijs, externi causarum patroni &
procuratores, quam non admittantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65406)

enumeratis casibus, copiosa civilium causarum sylva, iurisdictioni temporali, ac civili magistratui, indies subtrahitur atque eripitur. Quod non solum iuribus & æquitati, sed etiam rationi contrarium esse dignoscitur.

VT PLERIQUE INOPIA RERVM LABORANTES
iudicialium expensarum, variorumque laborum & expensarum formidine, ad iniquas transactiones compellantur.

80 Neque hoc silentio preteriri potest, quod ecclesiastici iudices & officiales miseros ac simplices laicos, multoties ad illicitas, iniquas, sibique penitus nociuas transactiones adigunt. Nam si quando eos in ius vocant, magna patronorum, rabularum forensium, scribarum, ceterorumque, quorum opera in iudicio strepitu, uti necessum habent, caterua, nullo ære conducta, sed gratuito conquisita, stipati astant, ac pauperibus illis prophanis, ægestate pessis, id hominum genus, non nisi magno conducendum. Quobus ubi fortunæ, rei que familiaris tenuitas denegat, nisi penitus causa, etiam iustissima, decidere velint, transactionem seu compositionem utcumque iniquam inire coguntur. Qua re quantum grauentur tenues, nemo est qui non facile id deprehendat.

IN MULTIS ECCLESIASTICORVM CONSISTORIIS,
externi causarum patroni & procuratores, quam non admittantur.

81 Et hoc hætenus Germanis multum attulit molestiarum, quod per ecclesiasticos iudices, nulli coram se litigantium partium, alijs uti aduocatis & procuratoribus licet, quibus sibi, suisque tribunalibus, iurisiurandi sacramento obnoxios reddiderunt. Ne tamen nihilominus externi patroni a litigatoribus consulantur, adeo breues præfigunt terminos, ut adiri nequaquam possint. Et ne hoc eorum factum tanquam æquitati contrarium, improbari possit, se id in controuersia commo- dum facere adfirmant, quo celerio-rem per consistorii iuratos procuratores sortiatur exitum. At interim meridiana luce clarius.

ce clarius apparet, qua sinceritate, quae dexteritate id agatur. Nempe compertum habent officiales, se suosque superiores, a consistorij aduocatis & procuratoribus timeri. Et sic miseri clientes patronorum verecundia, dum quod contra ecclesiasticum iudicem, eiusue superiores, quacumque in parte facere possent, in iudicio proponere non audent, ultra quae par sit, negliguntur. Quam rem ecclesiastici prelati, neque quae in territorio tale exercetur consistorium, quum prohibere, penitusque eradicare deberent, tutantur, ac defendunt. Et id potissimum eam ob causam, ut si quando ipsis, subditisue ipsorum in ecclesiastico iudicio experiendum fiet, dicti aduocati & procuratores contra ipsos exteris suis clientulis, ea quae causae sibi postulat necessitas, consulere, in iudicioque proponere vereantur; ne, si diuersum facerent, praelatos sibi inferros, iudicesque sibi male propicios redderent; talemque aduocatorum & procuratorum metum ac formidinem, nemo est, cui vel cerebrum sit, cui leua in parte mamillae cor saliat, qui inficias ire, vel possit, vel audeat, cum id quotidiana experientia adeo eluceat, ut nemini non, nisi forte is, qui nondum aere lauantur, sit exploratissimum. Quotus enim quisque est aduocatorum, vel procuratorum, qui non amore, spe, timore, inuidia, fauore, muneribus, similibusue adfectibus, animo non aliquando rectoque consilio deiciatur, quum nihilominus vacui etiam praedictorum adfectuum, vix tandem precibus, precioque inducuntur, ut nihil diligentiae, laborum nihil, nihil item clientuli iurium praetermittatur. Enumeratis vero grauaminibus, nulla praesentior adhiberi posset medicina, quam si litigantibus a certo usque limite, & aduocatos, & procuratores vel consulere, vel ad consistorium secum adducere liceret.

Q. LEVIBVS EX CAVSIS, PAVPERIBVS

Sacramenta denegentur.

Et hoc facinus Christi disciplinam profitentibus penae 82.

G.